

nec exigas, quod non dedisti; neid, quod habere videris, amittas. Si autem te audire noluert, ecce do tibi summam pretii; porrigere ei, & revertere. Paruit Diaconus in omnibus; sed non mollit iniquum hominem: eam damnò suo fœnus accepit; & eodem momento, quo aurum ab Episcopo missum contigit, humi collapsus miserè expiravit. Stengelius t. 3. divin. Judic. cap. 13. Surtius 14. Septemb. Vide plura apud Stengelium citatum.

Num. IV.

Sententia.

Ex Veteri, & Novo.

Divitias, quas devoravit, evomet. Job 20. 25. quin si id sponte non fecerint, de ventre illorum extrahet eas Dominus. Quod si alienum aliquid retinere presumpserit, Deum domus suæ inimicum habebunt. Segneri f. 13. l. 4. Dom. 2. Quadr.

Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere (scilicet justitiam, & scientiam) quia facient sibi penam quasi aquila, & volabunt in caelum. Prov. 23. 5.

Qui edificat domum suam in penditiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme. Eccl. 21. 9. q. d. qui edificat domum non suo, sed alieno sumptu, putat injustè, per vim, fraudem, aliamve injustitiam, ab aliis rapto; hic similis est homini &c. Complutenses habent: colligit lapides in camulam sepulcræ suæ. q. d. non domum, sed sepulchrum, sibi edificat. Sic etiam vertit Tigur. & Syrus. Cornel. hic.

Va qui præparat. If. 33. 1. Dicit in morte dæmon avaro: tu fuisi avis de rapina, modo raperis tu. S. Vinc. Ferr. ser. de assumpt. Virg.

Perdix fœvit, qua non peperit; fecit divitias, & non in iudicio. Jerem. 17. 11. Tradunt Aristotel. Theophrast. Plinius: perdicem alterius perdix ova furari, iis incubare, excludere pullos: qui cum adoleverint, & vocem excludentis audierint, ab ea, quasi aliena, avolant ad primam, & veram matrem; cujus vocem naturæ instinctu agnoscunt. Tales, ait Jeremias, sunt Sedecias, & Judæi, alique divites; qui non in iudicio, id est, non iuste, sed iniuste, divitias congregant, aliena rapiunt; & faciunt sibi divitias, quas brevi Babylonii diripient. Cornel. hic.

Pro eo, quod diripiatis pauperem, & prædam ecclesiam collebatis ab eo - quid inde habent? domos quadros lapide edificabitis, & non habitabitis in eis. Venas plantabitis. O. Amos 5. 11.

Va ei, qui multiplicat non sua! usquequo & aggravat contra se deus, sum laetum. Habac. 2. 9. Nota; non ait, contra alios: sed contra se; ut enim alteri benefaciat, amore crudeli perdit seipsum.

Va qui congregat avaritiam malam domini sui! cogitasti confusioneem animæ tuæ. Habac. 2. 9.

Va vobis, qui conciditis domos viduarum. Matth. 23. 14. Injusta bonorum aliorum defraudatio ruinam etiam temporalem parit. Merito Christus viduarum spoliatoribus, præter primum vè, amplius minatur judicium; quasi vellet illos, non solum in futuro, sed & in præsentem, poenas dare. Bæza t. 3. l. 14. c. 16. §. 15.

Num. V.

Ex Patribus, & aliis.

Quò quisque infirmior; eò prædè patet. Sunt, qui invicem se devorant, & sua carne pascuntur. Minor apud ipsos, est a majoris eit. Vide, nè idem te, qui piscem illum, finis maneat. S. Ambros. l. 5. hexam. c. 5. de piscib.

Vetus est proverbium: abdita vulpium, sunt rapinæ luporum. Gerton D. 2. Pasch.

Basilus Imp. patet, ad filium c. 27. ignis non ita celeriter paleam consumit, ut malè, & iniuste congregatæ opes, etiam jure partas, in perniciem seculum abripiunt.

Si bene valens pinguior ex cibis suis, pinguedo illa vires addit, si verò ex morbo tumefas, artem queris medicam. Si qui, vel à parentibus iusta divitias accepit, vel honestis modis lucratus est; iis fidere potest: si autem contra fas corrosit, periculose avaritia laborat, mortique proximus est. Pinna in Eccl. Ethol. 119.

§. XXI.

Divitiæ veræ.

Veni quidam homo dives - Joseph. Matth. 27. 57. Fuit ille Discipulus Christi, qui paupertatem tantoperè amabat, & prædicabat: beati pauperes spiritus. Quomodo ergo Joseph. dives simul, & Discipulus Christi, esse poterat? S. Epiphani. orat. de Dom. sepult. verè dives Joseph? siquidem margaritam illam, quæ omnem pretii æstimationem excedit, secum habere, ac portare promeruerat. Verè dives i sacculum enim plenum portabat, nempe ipsammet divinitatis thesaurum, Paolæti ferm. 6. Festo Sancti Joseph.

Quid queritis viventes cum mortuis? Luc. 24. 5. Querendæ res sunt suis locis. Christus ibi non erat, ubi eam foemina querebant. Querebant inter mortuos; erat inter vivos: querebant in

domo mortis, erat in domo vitæ: querebant in sepulchro jacentem; cum quereere deberent in domo victoriæ triumphantem. Sic tu quære divitias, gloriam, gaudia: hic in Mundo non sunt. Barradius D. Pasch. Marc. 16. t. 4. l. 8. c. 6.

Magnæ sunt divitiæ charitatis; sine qua dives pauper est; & cum qua pauper dives est. S. Aug. D. 2. Epiph. l. 2.

Quid habet dives? si Deum non habet? quid non habet pauper, si Deum habet? S. Aug. D. 5. Trinit. ferm. 1.

Dominus dedit, Dominus abstulit &c. Abstulit, qui dedit; numquid perit, qui dedit? tamquam diceret: abstulit omnia; auferat omnia; nudum dimittat me, & servet mihi se. Quid enim mihi deerit, si Deum habuero? aut quid alla mihi profuerit, si Deum non habuero? S. Aug. l. 1. de Symb. fidei c. 3.

Hæ sunt vel maximæ divitiæ, non egere divitiis. S. Chryl. in Ps. III.

Nihil nostrum est, nisi hoc tantum, quod corde possessum, atque animæ nostræ coherens, à nemine potest profus auferri. Cæsianus coll. 3. c. 10. dicebat Abb. Pafnuicius.

Vide tit. Virtutes.

TITULUS XV.

DOCERE. DOCTRINA.

DOCTOR.

§. I.

DEUS vult nos ab hominibus doceri.

Ex Veteri, & Novo, & Patribus.

Vocavit Dominus Samuel. 1. Reg. 3. 4. Cur Samuel à DEO vocatus ad Sacerdotem properat? ut puer cum DEO locutus prius ab homine instrueretur de modo, quo se debet ad divinam locutionem comparare. Mendoza hic. Deus vocat Samuelem; simili voce Heli: & cur non aperit ei, ad quæ vocetur? sed ordinat, ut prius tendat ad Heli? Ut puer instrueretur à Seniore; quomodo se debet disponere ad DEI mandatum accipiendum. Sylveria in Act. 9.

Omnis nos quasi vides erravimus; unum quisque in viam suam declinavit. If. 53. 6. Daturus rationem, cur omnes erraverint? dicit: quemque in viam suam declinasse, suo iudicio ad hæsisse. Mendoza hic.

Ubi est, qui natus est? Matth. 2. 2. Divinæ est providentiæ ordo, homines ab hominibus doceri. Sylveria hic q. 7.

Ibi dicitur tibi, quid te oportet facere. Act. 9. 7. Saulum vocavit de cælo Dominus, non tamen quid agendum? plenus informavit; sed ad Ananiam remisit. Mendoza in 1. Reg. 3. v. 5. Et Centurionem Act. 10. 5. Cornelium, quamvis exauditas orationes ejus, elemosynasque respectas, ei Angelus nuntiavit; tamen missum esse ad Petrum ab eo imbuendum, legitur.

Divinas litteras ad eò obscuras voluit esse Dens, ut per librum septem sigillis signatum. Apoc. 5. 1. communiter intelligantur. Quò hæc obscuritas? Author Imp. hom. 44. in Matth. quia Deus etiam ex hominibus, alios voluit esse Doctores, alios discipulos. Ut scilicet inter eos mutua charitas, & humilitas, conservetur. Mendoza cit.

Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit. S. Bern. ep. 87.

§. II.

A quovis velis doceri.

Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi. Act. 8. 32. Ibat Eunuchus, ut valde potens in magnifico curru, multo comitatu famulorum: è contra Philippus solus, humiliter vestitu pedibaque, incedens. Ab eo tamen ille petit doceri, & luminari; ut expendit S. Chryl. hom. 35. in Gen. non ægrè tulit Eunuchus, nec dedignatus est, neque se contumelia affici existimavit quod plerique insulsi accidit; quos pudet ignorantiam suam coniteri, & ab eis discere, qui docere valent; & frequenter malunt in perpetua versari ignorantia. Sylveria hic.

Laudanda est modestia Apollo; quòd cum esset vir doctissimus in Scriptura, voluit magis informari ab una muliere, & opifice. Act. 18. 26.

Licet unde cumque proficere, ac doceri. Omnia ferè mysticos afferunt intellectus; & facile est, ex qualibet re morum figurare venustatem. Nihil ita creatum est per se, nihil ita simplex; cui non sit aliquid, unde doceamur; vel cavere noxia, vel salutaria providere. Hildebertus ep. 16.

Vide plura tit. Confilia. Verbum Dei.

§. III.

§. III.

Doctores.

Num. I.

Figura, & Smbola.

Distat. Gen. 40. 1. significat Doctores grossiores, & naturalis doctrinæ Scribas; per Pincernam verò Doctores specialis doctrinæ. S. Thom. hic.

Collum eorum sicut monilia. Cant. 1. 9. In collo Doctores significantur; in monilibus opera exprimentur: quia ea, quæ verbis docent, operibus ostendunt. S. Hieron. hic.

Sicut turris David, collum eorum. Cant. 4. 4. Collum, caput, & membra, connectit: unde per collum designantur, qui vel prædicatione, vel admonitione, alios convertunt, & capiti Christi jungunt. Rich. à S. Vict. hic.

Et habebat in dextera sua stella septem. Apoc. 1. 16. Genuinam harum stellarum interpretationem dat ipse Angelus, qui hoc Joanni revelavit v. 20. Septem stella, angeli sunt septem Ecclesiarum. II. intelliguntur de Doctoribus. Dan. 12. 3. qui ad iustitiam erudient multos, fulgebunt quasi stella. S. Hieron. hic: qui alios erudiunt, stellarum fulgori comparantur: non enim sufficit scire Sapientiam, nisi ut alios erudias. Sylveria hic.

Num. II.

Doctus optimus est Deus.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Hoc est, Filius osculetur. Neque enim, inquit, volo à Prophetis oculari amplius; non à Patriarchis; sed ipse jam proximè accedat. Non vult per os Prophetarum solum erudiri, acque doceri; sed ipsemet, inquit, appropinquet, jamque se Filius ipse instruat: os enim Dei Patris, est Filius. Philo Carpathus hic.

Quam velox est sermo sapientiæ! Et ubi Magister Deus est, quam citò dicitur, quod docetur. S. Leo l. 1. de Pent. Frustrà discendo laborat homo, qui Deum Magistrum non habet. B. Isaias Abb. or. 8.

Num. III.

Miscellanea.

Ex Veteri, & Novo.

Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter ceteros; ipse est, quasi tenerimus ligni vermiculus. 2. Reg. 23. 8. Compositum vermiculum cum Sapientissimo; an docebat è cathedra tamquam elatus princeps? non: sed tamquam vermiculus; sua molliterenditudo ligni duritiam domans, alios devinciens, & ad se alliciens; non in alta arrogantia, sed humiliter modestia, & lenitate Sylveira in Apoc. 1. 9.

Attendite à falsis Prophetis. Matth. 7. 15. S. Maximus ita intelligit: docuit Dominus supra v. 14. viam cæli esse arctam, & angustam; nunc subdit: cavete à falsis Prophetis, qui dicunt, viam cæli esse latam, & laxam; & extenuant peccatum, veniam facilem promittunt, & vos in tartara ducunt. Sylveira c. 19. in Matth. hic.

Num. IV.

Ex Patribus, & aliis.

Hac ætate (anno trigésimo ætatis Christi) tempus doctrinæ insinuatum est rationale; & ante, has metas perperam invadi Magisterium, data est forma: quia non competit annis impubibus federe in cathedra. S. Cyprianus de jejuniis, & tentat. Chr.

Nihil tam præclarum, hominique conveniens, potest esse; quam erudire homines ad iustitiam. Lactantius l. 6. de div. instit.

Docens aliquis plus dicit, & dicens sepe una audit cum iis, qui ipsum audiunt. Deus est enim magister, & ejus, qui dicit; & ejus, qui audit; qui & mentem irrigat, & rationem. Clemens Alex. l. 1. Strom.

Si me Magistrum libenter vocatis, reddite mihi mercedem: boni estote. S. Aug. de Ordine l. 1. c. 10.

Sicut discipuli probitas, laus est Magistri; ita Magistri vituperatio, discipulus neciens disciplinam. Sanctus Chrysol. 9. 4.

Nocturnum oculis similes habentur secularis sapientiæ profectores: nam & illarum aspectus noctibus quidem acrior est: exorto autem sole coecatur: sicut istorum, cum stracutissimus ad contemplandam vanitatem sensus, erga inquisitionem veræ lucis hebetur. S. Basilus exam. l. 8.

Post prælia Martyrum successerunt in Ecclesia Christi sanctorum, & verorum studia Philosophorum; id est, Doctorum, habentium; qui post spiritum fortitudinis per descensum scribitur, sanctum scientiæ spiritum. Hoc nimirum Evangelicæ fidei didicero fuit necessarium: quia diabolus, qui adversus

R. P. Spanner Poly. Tom. 1.

eam eatenus pugnaverit, non solum Leo, sed & draco est: Leo, quia aperte fœvis; draco, quia occultè decipit. S. Rupertus de oper. Spir. S. lib. 7. c. 1.

Præceptorum virtus est, nihil honoris, nihil gloriæ, à subditis, sed salutem ipsorum quærere; atque hujus gratia nihil non facere: ita ut, qui non illius, sed gloriam suam quærit; non jam præceptor, sed tyrannus sit. S. Chryl. in ep. ad Ephes. 3. f. 8.

Luca docente didicimus, quòd B. V. Maria Christum invenit in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem. Donec annorum defuit integritas, Doctor omnium, fines discipuli non excessit. Hildebertus ep. 12.

§. IV.

Doctrina.

Num. I.

Fac, quòd doces.

Omnino tempore, quo leprosus est. O. Levit. 13. 46. Ei, qui in lepra peccati est, claudatur sermo, claudatur & os: ut fiducia, sermonis, & docendi autoritas, excludatur. Origenes hom. 8. hic.

Beati immaculati in via. O. beati qui servantur testimonia ejus. Psal. 118. 1. 2. Quam pulcher ordo! quam plenus doctrinæ, & gratiæ! Non prius, qui servantur testimonia ejus, dixit; sed prius, beati immaculati in via. Antè enim vitæ, quam doctrinæ, quærenda est: vita enim bona, & sine doctrinæ, habet gratiam; doctrinæ sine vitæ integritatem non habet. S. Ambros. hic.

Magisterium stat de scientiæ; sed magisterii autoritas consistit ex vitæ. Cæpit Jesus facere, & docere. S. Chrysol. f. 167.

Labia ejus lilia, distillantia myrrham primam. Manus illius tornantes aureas. Cant. 5. 13. 14. Ordinatè post labia manus, id est, opera post verba, laudat Ecclesia sui redemptoris: quia, quæ verbis docuit, virtutibus credenda esse monstravit. V. Beda hic.

Aperiens os suum docebat. Matth. 5. 2. Et cur additum est, cum aperisset os suum? ut intelligas: quòd & tacens docebat, nedum loquens. Sed nunc quidem os aperiens, nunc autem ex operibus emittens vocem. Sanct. Chryl. in Matth. hic hom. 6.

Num. II.

Miscellanea.

Omnis scientes venite ad aquas. If. 55. 1. Doctrina divina dicitur aqua. I. quia infirmos sanat. Eccl. 15. 3. Aqua sapientiæ salutaris potabit illum. Inquinatos mundificat, Ezech. 36. 25. effundam super vos aquam mundam. Sitientes satiat. Jo. 4. qui biberit ex aqua. II. Dicitur vinum: quia pungit arguendo, incendit exhortando. Psalm. 104. 18. eloquium Domini inflamavit eum: quia inebriat consolando. S. Thomas in Isaiam hic.

Quantum doctrina hæc nova? Marci 1. 27. Novus homo novam Mundo afferat doctrinam: quòd Mundus contemneretur; quòd præfaretur indulgentia ferventis; quòd super conjugium virginitas ferebatur; quòd dignitatem cœlestem terrena vilis mercaretur; quòd per poenas, & opprobria, homo posset ad superna concendere. Sim. Cass. l. 5. c. 8.

Incipiens à Galilæa. Luc. 23. 5. Ascendendo docet: nam doctrina Christi facit hominem in superna concendere. Cæpit à Galilæa, velut à minis doctis, ut pedetentim perveniret ad doctos Jerosolymis constitutos. Cæpit à Galilæa perveniens Jerusalem. Una interpretatur rota, altera pax: ut sciamus, absque dubio Christi doctrinam temporaliter latam tendere ad æterna, enuntiatam in Mundo ascendere in superna. Idem l. 13. hic.

Sapientibus, & insipientibus debitor sum. Rom. 1. 14. Per hoc debitorum se profiteretur: quia ad hoc accepit doctrinam, ut tradat; & cum tradit, acquirit. S. Ambros. hic.

Sunt in Ecclesia lapides pretiosi, & semper fuerunt, docti scilicet, abundantes scientia, & eloquentia, & omni instructione legis. S. Aug. l. 258. de temp.

Doctrina electi Prædicatoris, quid est aliud? quàm dies eruditi discipuli. S. Greg. in 1. Reg. 10.

Vide tit. Concionator.

TITULUS XVI.

DOCTOR.

§. I.

Ad dolorem testandum scissæ vestes.

Scissæque vestibus. Genes. 37. 34. Vetus mos, in luctu scindere vestes; eratque hoc Symbolum plantus: scissio enim vestium significabat scissum dolorem cor. Cornelius hic.

S. Scin-



modicum, quod datur à Deo : hinc est, quod omnia non ad gratiarum actionem impitent. Sim. de Cass. l. 13. c. 7.

Rogabat illum quidam de Tharissis, - & ingressus discubuit. Luc. 7. 36. Nota : rogabat, est præteritum imperfectum ; discubuit verò, præteritum perfectum : nostra enim obsequia semper imperfecta ; dona autem Christi plena, & perfecta. Sylv. hic cap. 15.

Sæpe numerò magnum Dei donum est, non multa dona à Deo accipere, Blosius ep. ad amicum.

§. II.

Non omnibus omnia.

Ex Veteri.

In lippie oculis, Rachel decora facie. Gen. 29. 17. Nota quomodo Deus dona sua distribuat : omnibus quidem dat aliqua ; sed nulli omnia : sic Rachel dedit pulchritudinem, sed non fecunditatem ; hanc Lia, sed non pulchritudinem. Corn. hic. S. Greg. mor. l. 6. c. 28. Rachel pulchra, sed sterilis ; Lia autem lippa, sed fecunda : quia nimirum mens, cum contemplan-do otia appetit, plus videt ; sed minus Deo filios generat : cum verò ad laborem prædicationis se dirigit, minus videt ; sed amplius parit. Rachel, quæ ante sibi felix videbatur, ut fororèm despiceret, per sterilitatem depressa est ; ut se miseram cognosceret : & Lia, quæ omnibus contempribilibus videbatur, ex fecunditatis abundantia sibi postea felix visa est. Did. Nyff. Dom. 3. adv. §. 4.

Moyse datur virga prodigiorum effectrix, sed impeditur lingua. Ex. 4. 17. Aaron frater tuus Levites, scio, quòd eloquens se. Ex. 4. 14. Consummata in neutro perfectio est : Moyse mutatur à fratre vocem, & mutat virgam. Aaron accipit virgam, & accommodat fratri loquelam. Neuter superbus, quia altero se indigere conspicit : neuter animò cadit, quia & laude aliqua præcellere videt. Imò in isto sermone hoc spectes : Deus enim Moyse inspirat, quæ ad regem referenda : Aaron, à Moyse accipit, deponit. Ipse loquitur pro se ad populum, & ait os tuum. v. 16. Naxera in Jos. 14. §. 5.

Exit os tuum. 16. Dices, quàm bona societas : cum enim omnis homo defectum habeat ; alter supplet alterius : quia in adiutorium mutuum homo creatus est : Moyse ab Aaron eloquentiam ; Aaron à Moyse sapientiam accipit. Corn. hic. Dederat Moyse duabus tribus, & dimidia, trans Jordanem possessionem, reliquis novem, & dimidia, Josue. Jos. 13. 17. Moyse primæ divisionis sortitur gloriam ; Josue laudem obtinet amplioris. Invicem se uterque excedit : ille hunc tempore ; hic illum amplitudine. Naxera hic §. 5.

Dum Goliath Israelitas provocaret. 1. Reg. 17. 8. Cur non Jonathas, qui percussit Philisthæos. 1. Reg. 13. 3. ad certamen se obtulit ? Abulensis hic : fortè Jonathas aggressus fuisset Goliath singulari pugna ; nisi Dominus reprehensisset ejus animositatem. Ut exaltavit David contulit ei hanc animositatem ; neque enim uni soli victorias omnes impertiri voluit.

Similitudo autem vulvus corum. Ezech. 1. 10. In Ezechielis curru aliud animal simile leoni, aliud aquila, aliud bovi, aliud homini. 1. Cor. 7. 7. alius quidem sit, alius verò sit. Non omnes ad currum aquile sunt. Unus currum trahet volando, alias arando. Bos factus ad laborem, aquila ad volatum. Leo, si rugit, currit, homo si imperet, trahit. Martha epuloni parat, & placet : Magdalena plorat, ut placeat Christum. Oliva l. 4. Strom. §. Domine, quid me vis facere ?

Audiui vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram. Ezech. 3. 15. Quid est ergo, quod hæc pennata animalia vicissim alas, alteram ad alteram feriunt ? nisi quòd omnes sancti se invicem suis virtutibus tangunt, & sese ad profectum excitant, ex consideratione virtutis alienæ. Non enim uni dantur omnia, nè in superbiam elatus cadat ; sed huic datur, quod tibi non datur ; & tibi datur, quod alteri denegatur : ut dum iste considerat bonum, quod habes, & ipse non habet, te sibi in cogitatione præferat : & rursum, dum tu habere illum conspicis, quod ipse non habes, te illi in tua cogitatione postponas. - Hoc itaque omnipotens Deus agit in cordibus hominum, quod facit in regione terrarum. Poterat enim unicuique regionis fructus omnes tribuere ; sed, si unaquilibet regio alterius regionibus fructibus non indigeret, communionem cum altera non habuisset. Unde fit, ut huic vini, alii verò olei abundantiam tribuat ; hanc multitudinem pecudum, illam verò ubertate abundare faciat frugum : ut, cum illa desert, quod ista non habet ; & ista reddit, quod illa non detulit ; per communionem gratiæ, sibi simul etiam divise terræ, conjunctim sint. Sicut ergo terrarum, ita sunt mentes Sanctorum. S. Gregorius hic.

Ex Novo.

Divisit Christus panes illos. Matth. 14. 19. Poterat singulos singulis dare : sed voluit ostendere, quam rationem servet in donorum suorum distributione erga justos suos. Non enim eis integros panes dare solet, sed fragmenta, alia aliis. Diez Dom. 4. Quadr. Distribuit discumbentibus. Jo. 6. 11. O li-

beralissime Domine ! ut quid panes confringis ; numquid non potes singulis integros panes dare ? Possum hoc facere : sed volo homines erudiri ; quòd, quamdiu in hoc sæculo vivunt, panem integrum sperare non debent. Etenim in hac vita omnia divisa, & contracta, tribuuntur ; etiam homines integrum panem exquirant, nunquam illum inveniunt. Est aliquis nobilis, dives &c. sed Xantippen in domo habet. Alius prober frugis uxorem habet, sed desunt liberi, quos optat. Diez D. 4. Quadr.

Uni dedit quinque talenta, alii autem duo. Matth. 25. 15. Durum, imparem esse confervo, talentis pluribus ab alio loquente, vix uno instrui. Verùm cum audias, tuis fuisse viribus adæquata talenta, gaudere debes, non angere. Ergo te dilexit Dominus, cum non ditavit : oppressisset enim vires, si dona cumulasset. Oliva l. 6. Strom. §. hic.

Ego vox clamantis in deserto. Joan. 1. 23. Cum utrumque Joannem charissimum haberet Christus ; Baptistæ tamen clamandi gratiam postillum concessit ; Evangelistæ autem scribendi gloriam reservavit ; ut nemo se omnibus donis locupletatum præfadar. Did. Nyff. D. 3. adv. §. 4.

Dixit Discipulus ille, quem diligebat Jesus, & Petro, Dominus est. Jo. 21. 7. Petrus amore fervidus fluctibus se commendat ; Joannes aquilino intuitu, Petrus affectu excellens ; Petrus pedibus, Joannes oculis gloriosus : habuit uterque, quod reperimeret gloriæ, Petrus caliginem, Joannes tarditatem. Naxera in Jos. 13. c. 14. §. 5.

Dividens singulis, prout vult, ait S. Paulus 1. Cor. 12. 11. Data sunt illis septem tubæ. Apoc. 8. 2. Non omnes tubæ dantur uni angelo, sed quisvis suam accipit. Quisvis Prædicator contentus sit suo talento, & inset tubam suam, non alienam. Sylveira hic.

Ex Patribus.

Non uni dantur omnia, nè in superbiam elatus incidat. Forfan idipsum Luciferò ruinæ fuit ; quod omnis lapis pretiosus esset operimentum ejus. S. Greg. M. hom. 14. in Ezech. In divisione donorum diversi percipiunt diversa munera ; non tamen conceduntur uni omnia : ut sit pro humilitatis studio, quod alter admiraretur in altero. S. Isidorus l. 2. c. 5.

§. III.

Dona dantur in bonum proximorum.

Infirmis curate. Mat. 10. 8. Usus gratiæ debet esse liberalis in proximum ; gratiæ acceptis, gratiæ date, ait Dominus hic S. Bonav. l. 2. de ingressu ad sapientiam.

Alit datur sermo sapientia. 1. Cor. 12. 8. Quia sapientia, & scientia, à Deo nobis sic donatur, ut in alios deriveret. S. Bernardus l. 13. in parvis : Cætera charitativa dantur nobis ad aliorum utilitatem : Unde Apostolus, cum de distributione donorum loqueretur, non ait simpliciter, alii datur sapientia, alii scientia ; sed addidit dicens : sermo sapientia, sermo scientia : Ut eò tenderet, quod humilissimè dona dantur propter alios, ut alii adificentur. Sylv. in Apoc. 10. Ad hoc Deus dat aliquibus specialia dona, ut ipsi efficiant illa in utilitatem aliorum : non enim dat lumen soli, ut sibi soli luceat, sed ut toti Mundo. S. Thomas in ep. 2. Corinth.

§. IV.

Dona DEI sunt stabilia, & continua.

Date nobis de oleo vestro. Matth. 25. 8. Virgines fatur habent parva vascula, nec oleo replentur ; sed etiam in parvis deficit. Elias, ut beneficeret mulieri justæ. 4. Reg. 4. 3. vult, pete ab omnibus vicinis vascula vacua, non plena. Et oleum superabundat, vasa deficient. Virgines habent oleum Mundi, vidua oleum Dei. Oleum Mundi etiam in parva vascula parca datur, ut excedat nostram capacitatem. Hugo Victor. l. 1. miscell. cap. 51. habet oleum Deus, habet oleum & Mundus : ad oleum Dei vasa deficient ; oleum Mundi in vasis deficit : oleum Dei, dulcedo æternorum ; oleum Mundi delectatio presentium ; illa sufficit, ista deficit. Sylveira in Jo. 3. q. 37.

Omnis, qui bibit ex aqua hæc, fiet iterum. Joan. 4. 13. Cur hæc aqua Christi extinguit sitim in æternum, cum angelus dederit Eliæ portum solum ad quadraginta dies ? 3. Reg. 19. 7. 8. Aqua Christi est donum à manu Domini veniens. At aqua distributa manu ministræ, etiam angeli ; in occasione deficit, & non tollit sitim. Id. ib. q. 22.

Dabo tibi coronam vitæ. Apoc. 2. 10. Cur non addit æternæ ? cum revera ita sit. Sed hoc subintelligitur : quia cum hæc corona datur à Deo, certum est, quòd sit æterna ; talia enim sunt dona Dei. Sylv. hic.

§. V.

Dona Dei ad omnes se extendunt.

Ego ego plura vobis panes de celo. Ex. 16. 4. & Psalm. 77. 24. Sap. 16. Cum multa mirabilia facta sint in Agypto per manum Moysis, & ejus virgam, Ex. 7. &c. cur non etiam in manna adeit manus Moysis ? Deus per illum utrumque præfaret ; sed vexetur per manum Moysis Agyptus. Dum verò manna, superpremi Regis donum, è celo cadit, ipse Dominus det, & pluar ; nulla hic sit manus ministræ ; ut nullus esuriat ; sed omnibus abundet. Cassiodorus l. 12. var. 11. dona regum nulla debent pollutione fuscari ; sed, sicut ab ipso exeunt copiosa, ita debent ad cives pervenire : mutant enim quamlibet largitatem ministrorum manus. Sylveira in Jo. 4. q. 22.

Multi in navitate ejus gaudent. Luc. 11. 14. Quare multi, & non omnes ? Bada hic : notandum, quòd nato Præcuratore multi gaudent ; nato autem Domino annuntiat Angelus gaudium magnum, quòd erit omni populo. Luc. 2. 10. Quia videlicet hic salutem multis prædicare ; ille omnibus, qui velint, venit donare. Hoc discernim inter salutem, & bonum, datum à Deo, & homine ; quòd enim est à Deo largitore, ad omnes se extendit ; quòd verò ab homine, ad paucos. Sicut etiam dixit Angelus Zachariæ : usor tua Elisabeth pariet tibi filium ; at B. Virg. ecce concipis in utero, & paries filium. Sed cur, sicut Zachariæ, non est appositum tibi ? Sanctus Chrysolomus serm. 142. quia sanctum vocatur Filius Dei : qui Filius Dei est, omnibus nascitur ; Filius verò ho-

ministantium particularibus, scilicet tibi. Sylveira in Luc. 1. quest. 19.

Regnabit in domo Jacob. Luc. 1. 32. Quare non dicitur in domo Abraham, Isaac ? In domo Abraham duo sunt nati filii ; unus tantum ; scilicet promissionis, obtinuit benedictionem. In domo Isaac duos peperit Rebecca ; unus tantum affectus est benedictionem. At in domo Jacob duodecim progeniti filii ; & omnes propriis benedictionibus ditati sunt à patre. Gen. 49. 1. &c. In hac ergo domo præfiguratur regnum Christi ; cujus dona non unus, vel alter possidet, sed ad omnes se extendit. Sylveira hic q. 40.

§. VI.

Dona divina, & humana, vocantur benedictiones.

Suscipe benedictionem. Gen. 33. 11. Benedixit Dominus domui Agypti. Gen. 39. 5. Suscipe benedictionem hanc. 1. Reg. 25. 29. Obsecro ; ut accipias benedictionem. 4. Reg. 5. 15. Dominus benedixit novissimis Job magis, quam principio ejus. Job 42. 12.

Benedicta tu in mulieribus. Luc. 1. 28. Hebr. Berach ; quòd donum & beneficium significat. q. d. maximis à Deo inter omnes beneficiis ornata. Benedictionem enim significare beneficium patet. 1. Reg. 25. 27. Ubi Abigail dona quædam offerens David ait : suscipe benedictionem hanc. Et Naaman 4. Reg. 5. 15. cum à lepra curatus quædam Eliseus daret ; obsecro ; inquit ; ut accipias benedictionem à servo tuo. Diez conc. 2. de Incarnat. div.

E.

TITULUS I. EBRIETAS.

§. I.

Symbola, & similitudines.

Eris sicut domus in medio mari. Prov. 23. 34. 1. Sicut domus in mari jactatur ventorum flatibus, ac maris aestibus, & fluctibus ; & nunc ad sidera videtur ascendere nunc in abyssum descendere ; sic æstibus phantasmatum & cupiditatum, sursum, & deorsum, jactatur ebrius. 2. Sicut naclerus dormiens finit agi navim in rupes, scyllas, & charybedes quibus eliditur, vel circumrotatur, & mergitur : Sic ebrius in mille fortunatum, & vite pericula, finit se abripi. 3. Sicut dormiens in navi, sopita ratione, non sentit piratas, cœteraque necis discrimina ; unde contra ea se munire nequit : sic ebrius vino sopit, mergitur rationem ; qua sopita, nequit se contra hostes, qui corpori, vel animæ, insidiantur, tutari. Cornelius hic. Tamquam fractæ, & naufragæ naves ; ita ipsius ebrietatis fluctibus fatigatur. S. August. l. 232. de temp. Philostratus lib. 3. Prisci pingebant navim hedera coronatam ; navis mediò fedentem Bacchum inter potatores, fidicines &c. nec habentem malum, nec velum, nec regines, nec remos, nec gubernatorem. Antiqui, teste Atheno l. 5. gymnosoph. maximos quosdam scyphos, Therides, id est, maria, vocabant. O quot in iis naufragia ! Idem l. 2. Domus quædam triremis dicta, quòd in ea quidam ebrii navigasse se crederent.

Omnis ebriosus tales sunt ; quales palades esse videntur. Quid enim in paludibus nascatur, non ignorat charitas vestra ; serpentes, sanguisugæ, ranæ, vermes. S. August. l. 231. de temp. Quid, quæso, sunt ebrii ? quam Gentium idola ? oculos habent, & non vident ; aures habent, & non audiunt &c. S. Basilus serm. in ebriet.

A tempestate, ac procella, quàm ebrietas generare solet, liberati ; in portum animarum nostrarum, jejunium, inquam, pertingere contingant. S. Chrysof. hom. 1. in Gen. Quid aliud ebriosi sunt, quàm simulacra Gentium ? oculos habent, & non cernunt ; manus solutas habent, pedes mortuos. Isidorus Clarus l. 1. or. 59.

Non tam inordinatè currus à furentibus equis, excusso auriga, feruntur ; neque navis à fævis ventis, amissò gubernaculo, tam miserè dissipatur ; quam ebriorum animi à potus in temperantia divexantur. Id. ib.

Navis oneraria. Lem. Nimio gravamine mergor. Picinelli.

§. II.

Ebrietas Dæmoni comparatur.

Nequepes ancillam tuam, quasi unam de filiabus Belial. 1. Reg. 16. Belial, interpretatur, absque iugo. Et notandum : quòd omnes, qui ebrietatem sectantur, filii Belial vocentur. Sanct. Rupertus hic.

Unde Sanct. Chrysol. f. 26. ebrietas est blandus dæmon. S. Basilus hom. 14. de ebriet. ebrietas est dæmon voluntarius. Mendoza hic Annot. 8.

Verè ebrietas voluntarius est dæmon ; & gravissimè, quàm dæmon mentem obtinebrat. S. Chrysolomus hom. 29. in Gen. Voluntarius dæmon, & ipsa mollior infania. Id. t. 6. in ep. ad Eph. 5. 18.

Ebrietas est blandus dæmon. S. Chrysol. f. 26. Dæmon blandus, & satis domesticus, est ebrietas. Sim. Cass. l. 8. c. 51.

§. III.

Ebrietas comparatur pecoris ; rationem obscurat.

Iruit spiritus Domini in Samson. Judic. 14. 6. Quæres : an Samsonis virtus in folis capillis ? an etiam in reliquis carominis Nazareatus ; ac præsertim in abstinencia à vino, sita fuerit ? ut, si vinum bibere, fortitudinem amitteret ; estò capillum intonsum servare ? affimat Abulensis, Basilus, &c. Ebrium insinat S. Ambros. ep. 70. Sanct. Basilus or. 1. & 2. de jejunio ; & Theodoretus. S. Basilus hom. 2. de jejunio : jejunium magnum illum Samsonem educavit, idque, quando viro adiuvi, singulis consiliis milliè hostes prostrati sunt, urbium portæ subruptæ sunt, leones manum illius non sustinerunt. At simul atque ebrietas, & cortatio, corripuit hominem, captus est ab hostibus, atque exoculatus. Cornelius hic.

Vinum, & ebrietas, auferunt cor. Osee 4. 11. id est, mentem, rationem, judicium ; ac hominem clementant, faciuntque vordem. Ita Theodoretus.

Fugite tenebras ! Ebrietas ad tenebras pertinet. S. August. f. 53. de diversis in Nat. D.

Animo gravato sunt supra modum ebrii multis menti offusis. S. Chrysol. hom. 1. ad pop. Antioch. Commune generis nostri opprobrium. hom. 1. ad populum. Bestiæ eò ulque bibunt, quousque fert sitis ; & cupiditatem sistant necessitate : hic intemperantia cupiditatem transiit, & ratione carentibus à ratione alienior apparet. S. Chrysol. Orat. Contra ebriet. tom. 6.